



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Quæ sit maior obligatio, vtrum iuramenti vel voti? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

*l. 2. de sū-
mo bono,
cap 31. a
med.*

** c. 8. an-
te med.*

cundum sanum intellectum eius, cui iuramentum praestatur. Vnde * Iſido. dicit, Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit. Et quod hoc intelligatur de doloſo iuramento, patet per id quod ſubditur, Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem iurantis. Vnde Greg. dicit 27. Moral. * Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

ARTIC. VIII.

489 *Vtrum maior ſit obligatio iuramenti, quàm voti?*

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod maior ſit obligatio iuramenti quàm voti. Votum enim eſt ſimplex promiſſio. Sed iuramentum ſupra promiſſionem adhibet diuinum teſtimonium. Ergo maior eſt obligatio iuramenti, quàm voti.

¶ 2 Præterea, Debilius ſolet per fortius confirmari. Sed votum interdum confirmatur iuramento. Ergo iuramentum eſt fortius, quàm votum.

¶ 3 Præterea, Obligatio voti cauſatur ex animi deliberatione, vt ſuprà * dictum eſt. Obligatio autem iuramenti cauſatur ex diuina veritate, cuius teſtimonium inuocatur. Cùm ergo veritas Dei excedat deliberationem humanam, videtur quod obligatio iuramenti ſit fortior quàm obligatio voti.

SED contra, Per votum obligatur aliquis Deo: per iuramentum autem obligatur aliquis interdum homini. Magis autem obligatur homo Deo quàm homini. Ergo maior eſt obligatio voti, quàm iuramenti.

RESPONDEO dicendum, quod vtraque obligatio, ſcilicet voti, & iuramenti cauſatur ex aliquo diuino: aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti cauſatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt ſcilicet ei promiſſum ſoluamus. Obligatio autem iuramenti cau-

ti causatur ex reuerentia, quam debemus ei, ex qua tenemur quòd verificemus id quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed non conuertitur. Videtur enim infidelitas subiecti ad dominum, esse maxima irreuerentia. Et ideo votum ex ratione sua, magis est obligatorium, quam iuramentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd votum est promissio non quæcumque, sed Deo facta, cui infidelem esse grauissimum est.

Ad secundum dicendum, quòd iuramentum non adhibetur voto quasi aliquid firmitus, sed vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur.

Ad tertium dicendum, quòd deliberatio animi dat firmitatem voto, quantum ex parte vouentis est. Habet tamen maiorem firmitatis causam ex parte Dei, cui votum offertur.

ARTIC. IX.

Vtrum aliquis possit in iuramento dispensare? 490

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quòd nullus possit dispensare in iuramento. Sicut enim veritas requiritur ad iuramentum assertorium, quod est de præterito vel præsentis: ita etiam ad iuramentum promissorium, quod est de futuro. Sed nullus potest cum aliquo dispensare, quòd de præsentibus vel præteritis iuret contra veritatem. Ergo etiam nullus potest dispensare, quòd non faciat aliquis esse verum id quod cum iuramento in futurum promissit.

c. Verum extra de iurjur.

¶ 2 Præterea, iuramentum promissorium inducitur ad vilitatem eius cui fit promissio. Sed ille (vt videtur) non potest relaxare: quia est contra reuerentiam diuinam. Ergo multo minus per aliquem alium potest super hoc dispensari.

¶ 3 Præterea, in voto quilibet Episcopus potest dispensare, exceptis quibusdam votis, quæ soli Papæ reuerantur, vt supra habitum est. Ergo pari ratione in iuramento, si esset dispensabile, quilibet Episcopus posset dispensare. Quod tamen videtur esse,

q. prac. a. 12. ad 13

Sec. Sec. Vol. ij,

Cc coti-